



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

XV. Quando confessio peccatorum reitranda sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

SECTIO XV.

S. Quando confessio peccatorum reiteranda sit?

596.

Supponimus posse reiterari hoc Sacramentum circa eadem peccata, si iterum ea confitearis. Supponimus etiam licet, & laudabiliter posse repeti confessionem peccatorum, atque ideo laudabilem, ac fructuosam esse usum confessionis generalis aliquoties faciendæ: contra quam duriusculè loquutus videtur Medina in summ. l. 1. c. 12. Nam licet illa necessaria non sit, quando de valore aliarum præcedentium non dubitatur, eius tamen utilitas magna negari non potest, quam mirificè commendavit S. P. noster Ignatius in suo libro exercitiorum spiritualium, quem librum, & omnia in eo contenta approbavit, & commendavit Paulus tertius in Bulla speciali, quæ eidem libro præmittitur.

597.

Ex defectu doloris debet reiterari confessio.

Dubitatur ergo, quando sit ex necessitate repetenda confessio peccatorum. Plures casus assignari solent, de quibus magna ex parte actum est in superioribus. Primò, quando defecit dolor, vel propositum requisitum in priori confessione. De hoc tamen diximus satis disp. 14. sect. 6. & 7. vbi vidimus, an possit dari hoc Sacramentum validum, & informe, & quidem quando tale est, non oportebit repetere confessionem, sed supplere dolorem, ut ibi dictum est.

Secundò quando confessio prior fuit ex malo fine. De hoc tamen diximus satis disp. 15. sect. 9. vbi diximus ex fine malo venialiter non reddi invalidum hoc Sacramentum.

598.

Item ex defectu absoluti-
onis vel intentionis.

Tertiò certum est, esse repetendam, quando defuit absolutio sacramentalis, vel intentio in Confessario, vel in ipso pœnitente. Idem est, quando Confessarius non habebat iurisdictionem necessariam: quo tamen casu, si Sacerdos habebat iurisdictionem quoad aliqua peccata, non verò quoad alia, quæ reservata erant; tunc si confessio bona fide facta est, non erit repetenda quoad peccata non reservata, quia ab illis iam absolutus est pœnitens directè à legitimo iudice, erit tamen repetenda, quoad sola non reservata, à quibus non fuit directè absolutus, quia vtile per inutile non vitiatur, de quo Nauarrus in summ. c. 9. n. 6. Sylvester Confessor 3. §. 1. Tabiena, Confessio, n. 23. Armilla ibi §. 12. & alij communiter. Ad hunc autem casum reduci-
tur, quando Confessarius habebat iurisdictionem impeditam per excommunicationem, vel censuram aliquam: quod tamen post Concilium Constantiense intelligi debet de censura proveniente ex notoria percussione Clerici, vel nominatim declarata.

599.

Quid, si tamen
cui peccatum
sum?

Quartò solet poni casus, quando pœnitens in præcedentibus tacuit aliquod peccatum mortale; quod quidem intelligi debet, quando id mala fide tacuit, ita ut in hoc ipso commiserit novum peccatum graue, ratione cuius non potuit tunc habere dolorem, & propositum debitum. Aduertendum tamen est, quod si aliquis ante decem annos, v. g. tacuit culpabiliter peccatum mortale; & postea in aliis confessionibus intermediis non recordatus est; nunc quando Confessarius comperit vitium illius confessionis præteritæ, non debet obligare ad repetendas omnes confessiones intermedias bona fide factas, sed solam illam, in qua fuit ille defectus, cum alia omnes potuerint validæ, & fructuosæ esse, dum illius Sacril. gij non recordabatur.

600.

Quando non
impleuit pœ-
nitentiam.

Quintò solet ab aliquibus poni casus, si pœnitens non impleuit pœnitentiam, quorum senten-

tiam refert Gerson Alphabet. 34. litt. R. & alij. Sed id prorsus caret fundamento; nam valor confessionis præteritæ non pendet à peccato futuro; quare ad summum oportebit confiteri peccatum illud pœnitentiæ omis-
sæ. Magis apparet, quod alij dicunt, esse necessarium repetere confessionem, quando pœnitens oblitus est pœnitentiæ sibi imposite, quia debet iterum recipere pœnitentiam, quam recipere non potest nisi confiteatur peccata, pro quibus imponenda est. Sed neque hoc verum est, nec ille tenetur aliam pœnitentiam petere pro illis peccatis, ut videbimus disp. 25. de satisfact. ad quem locum hoc pertinet.

Sextus casus affecti solet, quando confessio facta fuit Confessario ignaro. Solent tamen communiter distinguere: nam si Confessarius non est ita ignarus, ut nesciat discernere mortalia à venialibus in iis, quæ communia sunt, confessio erit valida, si alioquin bona fide fiat, & non sit culpa ex parte pœnitentis accedentis ad Confessarium ignarum, qui nesciat illi mederi. Si verò Confessarius non solum ignoret extraordinaria, sed etiam ordinaria, & communia, dicunt, confessionem esse nullam, quia confiteri tali Confessario perinde est, ac si confiteretur dormienti, vel ignoranti idioma. Ita plures antiquiores, Sylvester, Richardus, Nauarrus & alij, quos refert, & sequitur Valquez q. 93. art. 3. dub. 1. & Turrianus de pœnit. disp. 25. dub. 2.

Contrariam sententiam tenent alij, pro qua Diana 2. tom. tract. 4. de Sacram. resol. 21. affect Thom. Sanchez lib. 1. in Decal. c. 10. n. 69. Sed Sanchez ibi non loquitur de Confessario ita ignaro, sed solum ignorante de aliquo peccato speciali, an esset mortale, vel veniale, quod quidem etiam homini docto contingere potest; imò necesse est, ut contingat, ut aduertit idem Sanchez ibi. Melius potuisset pro illa sententia afferri Suarez, qui eam ex professo probat in præsent. disp. 28. sect. 2. n. 12. vbi citat Gabriellem, Medinam, & alios; eandem tenet Henriquez lib. 5. de pœnit. c. 14. num. 5. & indicat Cordoba c. 1. §. 8. Gaspard. Hurtado, de Sacram. disp. 10. de pœnit. difficult. 1. §. Syluius in præsent. quest. 8. artic. 5. quest. 7. Mercerus ibi quest. 9. artic. 1. & mihi etiam placet.

Et quidem; si bona fides sit ex parte pœnitentis, ut supponitur, fatendum videtur, absolutionem esse validam, & conferre gratiam: quia ad hoc sufficit, quod Confessarius habeat aliquam notitiam de aliquo saltem peccato pœnitentis, imò de peccato in communi, ut supra dictum est: quæ notitia nunquam deest illi Confessario, siquidem videt pœnitentem accedere ad confessionem, & petere absolutionem, ac confiteri se peccatorem, & impossibile etiam est, quod aliquod saltem peccatum non intelligat, & sciat esse peccatum, quod sufficit, ut valide de illo absoluat.

Deinde absolutionem ab omnibus validam esse, dum iurdictio non desit, probat bene Suarez, quia si Confessarius sit doctus, & habeat ignorantiam circa aliquod peccatum, an sit mortale, aut veniale, & putet esse veniale, quod est mortale, adhuc absoluit directè ab illo, & pœnitens non tenetur iterum illud confiteri, ut aduersarij etiam concedunt ergo poterit absolvere directè ab omnibus, licet de pluribus illorum habeat eandem ignorantiam. Nam si ignorantia semel non impedit absolutionem directam ab vno peccato, circa quod est ignorantia, neque etiam impedit circa alia, cum non sit maior ratio, & confiteri iurisdictionem circa aliquod peccatum posse stare cum ignorantia circa eius gravitatem. Quamvis ergo Confessarius sit ignarus circa maiorem partem peccatorum, & eorum gravitatem

tatem; poterit tamen ab illis absolueri, sicut poterat à duobus, vel tribus, quorum gravitatem ignorabat.

Confirmatur, quia in articulo mortis, si non esset alius Confessarius, deberet poenitens illi ignaro, & indocto confiteri omnia sua peccata mortalia; non quidem ut ab illis absolueretur indirectè, quia ad hoc sufficeret confiteri aliud, à quo absolueretur directè: si ergo obligatur ad confitenda illa omnia, potest Confessarius absolvere directè ab illis; sed articulus necessitatis non dat illi iurisdictionem, si ipse propter ignorantiam est naturà, vel certè diuino iure incapax potestatis: ergo fatendum est, ignorantiam non tollere potestatem absoluendi à peccatis, de quibus non scit prudenter iudicare; & per consequens, licet extrahat articulum male faciat ingerendo se illi muner, pro quo non habet sufficientem peritiam, valide tamen illud exercet.

Ad exempla verò de Confessario dormiente, vel ignorante idioma poenitents, dicendum est, discrimen esse clarum, quia Sacerdos non potest absolvere, nisi præcedat confessio: non est autem confessio, quando Sacerdos non audit, quia confessio non fit, nisi audienti; perinde autem se habet non intelligens voces, & earum significationem, ac si non audiret. At verò in casu nostro audit, & intelligit rem significatam per has voces, *occuldi hominem*; quod autem non sciat, an sit peccatum mortale, vel veniale, non tollit, quod cognoscat verè illam actionem quæ est peccatum mortale.

Circa hoc tamen ipsum aduerte, non deesse, qui dicant, non esse repetendam necessariò confessionem, quando poenitens scit postea, Confessarium dormitasse interim, & aliqua peccata non intellexisse. Ita Dianam. 2. tract. 4. de Sacram. resol. 109. qui assert pro se Henriquez lib. 5. c. 14. n. 5. & Layman lib. 4. tract. 6. cap. 9. num. 5. sed uterque solum dicit, Sacramentum fuisse validum, & cum fructu quod quidem verum est, quia ad hoc sufficit audisse vnum peccatum. Addit tamen uterque, debere repeti illa peccata, quæ poenitens putat à Confessario non fuisse audita propter somnum, vel distractionem, non verò esse repetendam confessionem quoad alia peccata, quæ Confessarius audiuit. Quare neuter dicit, non esse obligationem ullam reiterandi, sed solum non esse obligationem reiterandi quod auditum fuit, de quo non poterat esse dubium, aut controuersia. Remanet ergo dubium practicum, quando poenitens post absolutionem aduertit Confessarium aliquod, vel aliqua peccata non intellexisse propter somnum, vel distractionem; nescit tamen, quod fuerit illud peccatum, an tunc teneatur repetere totam confessionem, ut directè absoluitur ab illo peccato, à quo nondum directè absolutus est: de quo casu illi Doctores non loquuntur, sed solum dicunt id, quod extra controuersiam erat, debere repeti peccata, quæ Confessarius non audiuit, ea verò quæ audiuit, repetenda non esse, quod si hoc solum quærebatur à Monialibus illis, quibus Pater Diana respondit, nemo poterat contradicere: si autem aliquid vterius quærebatur, prout casus indicat, Auctores illi non sunt ad rem, quia nihil aliud dicunt.

Ad casum ergo sub his terminis propositum aliter respondendum est, si constet Confessarium dormitasse ita, ut prudenter de singulis peccatis dubitari possit, an hoc peccatum audiuit, debet tota confessio reiterari: si verò non possit de singulis ita dubitari, sed ad summum in communi de aliquo peccato, non est obligatio reiterandi confessionem, sed confitendi illud peccatum in communi. Pro cuius intelligentia, aduerte primò, peccatum illud, de quo est verum dubium, an fuerit in confessione dictum Sacerdoti, debere iterum in confessione dici, ut tradunt communiter Theologi, quos sequitur Thom. Sanch. l. 1. in Decal. c. 10. n. 71. qui n. 72. addit, idem dicendum esse, quando quis confessus est peccatum, sed dubitat, an confessio fuerit valida, prout in nostro casu contingit.

Aduerte secundò, posse aliquando dubium esse circa hoc peccatum, aliquando solum circa peccatum aliquod in communi. Exemplo res declaratur: si ego ex reuelatione scirem, esse vnum hominem Romæ, qui existimat se baptizatum & tamen non est verè baptizatus; non ideo deberem, aut possem licitè baptizari sub conditione, quia hinc, & nunc non habeo sufficiens fundamentum ad dubitandum prudenter de meo Baptismo. Alioquin omnes deberemus iterum baptizari, & ordinari, quia certum moraliter est, inter Christianos aliquem, vel aliquos reperiri, qui vel ex defectu intentionis, vel materiæ, vel alia de causa verè baptizati non sint, vel ordinati. Cæterum in tanta multitudine id non generat dubium morale respectu huius hominis in particulari. Sicut ex eo, quod aliquis solet repente mori, non generatur morale dubium de morte huius hodierna, qui nunc bene valet: alioquin teneretur sub peccato mortali statim confiteri, ne exponeret dubio morali suam salutem æternam: de quo vide quæ diximus supra disp. 7. sect. 11. & 12. Quando autem certum esset, vnum ex decem, vel viginti hominibus non esse baptizatum, possent, & deberent omnes, & singuli baptizari sub conditione, quia tunc de singulis possemus aliquo modo prudenter dubitare, an essent baptizati.

Similiter ergo contingere potest dubium circa peccati confessionem: nam si scias te aliquando in vita, v.g. fecisse confessionem menstruum irritam ex defectu potestatis in Confessario, non ideo debes reiterare omnes confessiones totius vitæ, quia non est dubium morale de singulis in particulari, sed satis erit accusare te de peccatis, quæ in illa confessione dixisti, quæ determinare non potes. Similiter si in confessione generali scires, vnum peccatum non fuisse à Confessario auditum propter somnum, & nescires, quod peccatum esset; non deberes repetere omnia peccata: quia non potes in tanta multitudine de singulis prudenter dubitare. Secus esset, si in confessione breui scires id euenisse: quia iam tunc posses de singulis peccatis in illa confessione dictis prudenter dubitare, an fuissent à Confessario audita. Plus autem opus esset, ut deberes repetere totam confessionem, quando solum scires, Confessarium, qui hodie plures confessiones audiuit, in vna aliquantulò dormitasse, quia tunc minor esset ratio dubitandi de singulis peccatis: sicut & minor ratio esset dubitandi quando solum scires, Confessarium aliquando dormitasse, dum confessionem aliquam audiret: nam si scires eum Parochum, à quo baptizatus es, semel casu ebrium baptizasse, non ideo posses prudenter de tuo Baptismo dubitare, quia in tanta multitudine baptizatorum non videtur sufficiens motiuum scire, quod vnus solus fuit baptizatus inualidè.

Dixi tamen, quando dubium esset circa peccatum aliquod in communi, debere te illud in communi confiteri: cuius ratio est clara: quia ille, qui sit, se commississe aliquod peccatum mortale, & non recordatur, quale fuerit, tenetur illud in communi confiteri, ut supra dicebamus: & similiter qui dubitat de aliquo peccato mortali à se commissio, debet illud dubium confiteri, licet non recordetur in particulari speciei talis peccati: ergo similiter qui dubitat de aliquo peccato mortali in communi, an illud confessus fuerit, debet confiteri

fiteri illud dubium, cum eadem omnino sit ratio. Ergo si scis aliquod peccatum mortale non fuisse à Confessario intellectum, vel si etiam de hoc ipso prudenter dubitas, debes illud confiteri cum ea generalitate, licet non scias in particulari, quale fuerit illud peccatum. Debes autem tunc determinare materiam, quantum fieri poterit, v. g. dicendo, scio, vel dubito, an Confessarius audivit, vel perceperit unum peccatum graue meum, nescio quale fuerit, sed illo tempore confiteri solebam tales species peccatorum.

611.

Dices, quando dubitatur de baptismo alicuius in communi, & non de baptismo huius in particulari, non debet, nec potest aliquis baptizari: ergo quoties non dubitatur de aliquo peccato in particulari, quod illud non sit legitime confessus, nulla erit obligatio confitendi illud etiam in communi. Respondetur negando consequentiam: ratio disparitatis est, quia homo in communi non est subiectum capax baptismi; ideo licet dubitetur de homine in communi, non potest baptizari, quia non potest baptizari, nisi homo singularis, de quo non dubitatur. At verò peccatum in communi est materia confessionis, & aliquando necessaria, ut constat in eo, qui recordatur se grauer peccasse, & non recordatur speciei peccati: cum ergo dubium versatur circa peccatum in communi, debetis illud confiteri, quia illud idem peccatum in communi potest recipere absolutionem sacramentalem directam, ut supra diximus.

De peccato
per ignorantiam
omissio.

Septimus casus, quo confessio reiterari debet, assignari solet, quando aliquis in confessione aliquod peccatum propter ignorantiam omisit, quo casu dixerunt aliqui debere confessionem repeti. Sed certe, si ignorantia fuit inuincibilis, prout contingere sæpe potest, indicandum est de illo, sicut de peccato inculpabiliter oblito, atque ideo sufficit illud peccatum omissum dicere in sequenti confessione. Idem dicendum est, quando omissum fuit peccatum ex ignorantia culpabili solum venialiter, quia nec illa culpa venialis impedire potuit valorem & effectum absolutionis præteritæ.

S. 2. An propter excommunicationem non ablatam repetenda sit confessio?

612.

Octauus casus, quando pœnitens habebat excommunicationem; & non fuit prius ab excommunicatione absolutus, quam à peccatis, quia propter incapacitatem subiecti absolutio à peccatis irrita est. Quod saltem de habente excommunicationem maiorem concedunt multi. Sotus, Palud. Syluest. & alij, quos refert, & sequitur Vasq. tom. 4. in 3. part. tract. de excom. dub. 4. Sotus tamen apud Suarez infra citandum, id limitauit, ut dixi, ad solam excommunicationem maiorem, quam limitationem Vasquez dicit immeritò adhiberi: nam textus, si quid probat, ut videbimus, probat etiam de excommunicatione minori.

613.

Alij id limitant, ut non procedat, quando excommunicatio iniusta est, & quando, licet iusta sit, probabiliter tamen ignoratur ab ipso pœnitente. Ita Palud. in 4. dist. 18. quest. 4. num. 5. Quam limitationem meritò impugnat Suarez. tom. 5. de censuris, disp. 10. sect. 3. n. 20. quia nullum habet fundamentum.

Alij ergo verius dicunt absolutionem à peccatis per se loquendo validam esse, si pœnitens bona fide procedat: nam si mala fide procedit, iam confessio, & absolutio erit irrita ex defectu dispositionis debite. Hanc tenent Petrus Soto, Nauarrus, Medina, Caiet. quos refert, & sequitur Suarez loco citato Toletus, Layman, Coninch, quos affert, & sequi-

tur Diana 2. tom. tract. 4. de Sacrament. resol. 78. quibus adde Sanchez lib. 2. in decalog. cap. 8. n. 5. Vnde inferitur confessionem non esse postea repetendam, saltem quoad peccata non reuerata, à quibus alias Confessarius ille directè poterat absolvere.

Fundamenta præcipua sunt duo. Primum, quia durissimum esset pœnitentem oblito excommunicationis obligare, ut non posset vnquam iustificari in Sacramento, sed solum per contritionem, quia cum ignoraret se esse excommunicatum, non quateret vnquam absolutionis remedium, atque ita maneret incapax recipiendi Sacramentum pœnitentiæ; quod quidem, si Ecclesia fecisset, non videretur prudenter factum, cum potestas eius non sit in destructionem, sed in adificationem, & remedium animarum: ille autem rigor contra hominem non potentem sibi de remedio providere, videtur esse in meram destructionem: non est ergo credendum id fecisse, præsertim cum non constet de tali voluntate Ecclesiæ, qua voluerit non solum prohibere, sed irritare etiam receptionem huius Sacramenti. Fatemur quidem potuisse Ecclesiam irritare absolutionem, auferendo scilicet omnibus Sacerdotibus iurisdictionem ad absolendum à peccatis eum, qui esset excommunicatus: sed nec expediebat, ut dixi, nec constat de tali voluntate: cum tamen Ecclesia soleat id clare exprimere, quando intendit non solum prohibere, sed irritum reddere aliquem actum, præsertim in Sacramentis, prout id clare expressit in matrimonio, quando voluit matrimonia clandestina irrita reddere.

Vnde sumitur secundum argumentum principale: quia hæc voluntas Ecclesiæ colligi non potest ex eo, quod excommunicatum separauerit, & priuauerit Sacramentorum participatione: nam si ex hoc præcisè colligis Ecclesiam, quantum potuit, excommunicatum priuasse vsu Sacramentorum, reddendo irrita ipsa Sacramenta, quatenus aliqua ex ipsius Ecclesiæ voluntate pendebant, deberes etiam dicere matrimonium ab excommunicato contractum esse omnino irritum: quia Ecclesia potuit id facere irritando consensum excommunicati, sicut ex voluntate priuandi excommunicatum vsu Sacramentorum colligis Ecclesiam irritasse absolutionem, ablata iurisdictione omnibus Sacerdotibus; sic deberes colligere irritasse Sacramentum matrimonij, irritando consensum coniugis excommunicati: quod tamen nemo dixit, nec dici villo modo potest.

Pro contraria sententia afferuntur aliqua leuia fundamenta, quæ facile dissoluit Suarez. Vnum solum restat difficile, quod valide contorquet Vasquez loco citat ex cap. finali de Clerico excommunicato, ubi Gregorius nonus loquens de excommunicatione minori excommunicatione, sic ait: Peccatum autem conferendo Ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata virtutis non caret effectu: cum non videatur à collatione, sed à participatione Sacramentorum, qua in sola consistit perceptione remotus, ubi ille verbum remotus, intelligi non potest de mera prohibitione, quia per prohibitionem etiam est remotus à collatione, cum Pontifex dicat clare, ipsum peccatum conferendo Sacramenta. Debet ergo intelligi illud, Remotus, de remotione, non solum per prohibitionem, sed etiam per incapacitatem, per quam non est remotus à conferendis, sed à suscipiendis Sacramentis.

Pater Suarez, cum loco citato leniter ad alium textum respondisset, postea disp. 24. sect. 2. numer. 6. & seqq. faceret illius difficultatem, & tentatis variis solutionibus, tandem inuitus quiescit in solutione Nauarri, quam prius impugnauerat, quod scilicet illa verba Gregorij: Peccatum conferendo Ecclesiastica

elefastica Sacramenta; intelligantur non de omnibus Sacramentis, sed de illis, quæ conferre non potest, nisi recipiendo, vt Sacramentum Ordinis, & Eucharistia, in quibus Episcopus, vel Sacerdos celebrat, & per consequens recipit Sacramentum.

Hæc tamen interpretatio incredibilis est. Primo, quia verba sunt vniuersalia de omnibus Sacramentis, vt constat, & alioquin Pontificis doctrina diminuta esset, cum de omnibus Sacramentis dubitaretur, & ipse de duobus solis responderet. Secundo, quia nec in illis duobus vera esset, cum administratio Eucharistia communiter non fiat simul cum eius celebratione, sed possit diuidi, ac de facto frequenter diuidatur, & Sacerdos dat Eucharistiam à se tunc non consecratam. Tertio, quia etiam in illis duobus Sacramentis falsum esset, quod *peccat conferendo*; nam licet Episcopus, & Sacerdos peccent celebrando cum excommunicatione minori, non tamen peccant etiam tunc conferendo ordines, vel dando Eucharistiam. Vnde si Episcopus haberet intentionem faciendi se absolueret ab excommunicatione minori ante consecrationem, vel ante communionem, non peccaret mortaliter, incipiendo Missam, conferendo ordines cum excommunicatione minori. Similiter Sacerdos, licet peccet accipiendo Eucharistiam cum illa excommunicatione minori, non tamen peccat dando postea illam, sed peccauerat prius, non ergo dicitur verè, quod peccent conferendo. Confirmatur, quia ibi Pontifex clarè distinguit receptionem Sacramenti à collatione, & dicit, illam esse prohibitam excommunicato minori, non istam. Ergo quando dicit per collationem etiam peccare, non intelligit de susceptione; hæc enim fuisse intolerabilis confusio, & æquiuocatio in eisdem verbis.

Propter hæc alij multi fatentur illud, qui habet excommunicationem minorem, licet directè non prohibeatur, & remoueat præcepto Ecclesiæ, nisi à receptione passiuæ Sacramenti, peccare tamen venialiter Sacramenta conferendo, nisi necessitas excuset: quia negari non potest, quod sit irreuerentia aliqua cum illa macula, quæ facit subiectum positivè indignum Sacramento, accedere ad illud contrectandum, & conferendum: Sic enim dixi *disp. 14. de Eucharistia, sect. 2.* esse aliquando peccatum veniale accedere ad Eucharistiam cum peccato veniali actuali, vel cum multis venialibus habitualibus: quod à fortiori dici potest de conferente Sacramentum cum excommunicatione minori. Vnde potuit meritò Pontifex id concedere in illis verbis, peccare quidem conferendo Sacramenta, ubi ex industria non dixit, peccare *grauiter*, sicut dixerat prius, peccare eum *grauiter* celebrando, sed solum *peccare*: quam interpretationem tradunt Ledesma, Couarruias, & alij plures apud Suarez *dist. sect. 2. num. 11.* quos sequitur Coninch *disp. 14. de excommunicatione dub. 17. n. 264.* Dissplicet tamen Suarior, eo quod absque fundamento *sufficienti*, ponatur talis culpa venialis cum ex Ecclesiæ prohibitione non habeatur, quæ solum receptionem non collationem Sacramenti prohibet.

Ad hoc tamen respondere possumus ex Ecclesiæ lege contrahi quidem excommunicationem minorem, quæ macula aliqua est: ex hoc aut ipso iure naturæ contrahi irreuerentiam aliquam ab eo, qui cum hac macula accedit ad sanctissimam, & purissimam illam actionem conficiendi Sacramenta: nam sicut ex sanctitate illius actionis probauimus malitiam grauem illius, qui cum peccato

P. Joann. de Lugo de Penitentia.

gravi audet illam actionem exercere *disp. 8. de Sacramentis in genere sect. 9.* Sic ex sanctitate eiusdem actionis argui potest culpa aliqua in illo, qui absque necessitate audet cum macula excommunicationis sacrosanctam illam actionem exercere. Et sicut in eodem loco diximus statum peccati mortalis, licet solas actiones Sacramentales prohibeat sub culpa graui, prohibere tamen alias sub culpa veniali, atque adeo peccare peccato veniali graui Diaconum cantantem solemniter Euangelium, & ministrantem in altari post fornicationem noctis præcedentis: Sic dici potest minus fortasse dicere, quod cum macula excommunicationis minoris accedat Episcopus ad conferendum solemniter Sacramentum confirmationis. Denique quis dicat Sacerdotem in statu peccati mortalis ministrantem solemniter Eucharistiam etiam extra Missam, non peccare venialiter, si sine urgente causa id faciat, licet probabilior sententia dicat non peccare mortaliter, vt diximus in eodem loco? Potest ergo similis indecentia inueniri in casu nostro, licet non sit directè contra Ecclesiæ prohibitionem.

Cæterum contra hanc explicationem restat adhuc difficultas: quia Pontifex in illis verbis dicit, Sacramenta ab excommunicato excommunicatione minori collata habere virtutis effectum, quia per illam excommunicationem non remouetur à collatione, sed à receptione Sacramenti: ergo per argumentum à contrariis, si remoueretur etiam à collatione, sicut remouetur à receptione, carerent effectu, & essent irrita: ergo receptio, à qua de facto remouetur, erit irrita: alioquin argumentum Pontificis supponeret falsum.

Ad hanc tamen obiectionem aduersarij etiam respondere debent: certum enim est, per excommunicationem minorem Ecclesiæ prohibere non minus receptionem Sacramenti matrimonij, quam aliorum Sacramentorum, cum omnium Sacramentorum usu passio priuet: & tamen certum etiam est, Ecclesiæ non reddere irritam receptionem talis Sacramenti in excommunicato minori, vel etiam maiori excommunicatione, sed quod Sacramentum illud validum erit: non est ergo in rigore verum, quod si illi excommunicato prohiberetur collatio, sicut prohibetur receptio Sacramentorum, collatio esset irrita, & non haberet effectum. Vnde ad obiectionem propositam dicere possumus, non valere ibi argumentum à contrariis sensu, quia Pontifex vnum negando, alterum non affirmat, sed assumpsit id, quod certum erat, vt probaret, Sacramenta illa irrita non esse. Argumentum autem ipsius hoc est: Non est, vnde Sacramenta illa careant effectu, nisi quia Ecclesiæ illa fortè irritant aliquo suo præcepto positivo, auferendo potestatem, vel iurisdictionem: sed Ecclesiæ id non fecit, cum de facto Ecclesiæ eiusmodi excommunicato non prohibuerit conferre, sed solum recipere Sacramenta: Ergo non est, vnde illa Sacramenta ab eiusmodi excommunicato collata debeant effectu suo carere. In quo argumento Pontifex non affirmat, vt vides, quod si Ecclesiæ prohibuisset collationem Sacramenti, collatio deberet esse irrita: sed solum dicit non potuisse esse irritam, si Ecclesiæ eam non prohibuit; quod verissimum est; & hoc sufficiebat ei ad probandum suum intentum. Quid verò esset, si Ecclesiæ collationem prohibuisset, ipse non definit; & certè loquendo de omnibus Sacramentis, falsissimum esset dicere, quod ex prohibitione Ecclesiæ posset omnium collatio irrita: vt constat de Sacramento baptismi, ordinis & similium. Hæc ergo videtur facillior explicatio illius textus, quem Suarez fatetur difficillimè posse explicari.

K k Rectat

622. Restat adhuc dubium illud practicum circa hoc ipsum; an quando ad effectum absolutionis sacramentalis præmittitur absolutio à censuris per illam absolutionem auferatur excommunicatio, quam pœnitens non dixerat, quia eius ignarus, vel immemor erat, ita ut postea non opus sit amplius eius absolutionem petere. Pater. Suarez *infra disputat. 31. section. 4. numer. 19.* loquens de excommunicatione reservata dicit, si pœnitens nullo modo petiit absolutionem à reservatis, etiam consecratur superiori, vel habenti facultatem super reservata, non auferri reservationem circa oblita, neque etiam manere liberum ab illa excommunicatione: quia sensus illius absolutionis, quæ præmittitur à censuris, est tollere censuras solum quatenus opus est ad effectum absolutionis sacramentalis, sicut Pontifex in bullis solet præmittere absolutionem à censuris ad effectum solum illius gratiæ participandum: quare pœnitens manebit postea ligatus eadem censura, & debet illius absolutionem petere.

623. Hæc sententia semper mihi dura, & difficilis visa est contra sensum, quem verba illius absolutionis præ se ferunt, qui non est limitatus, nec ad reincidentiam, sed absolutus, & universalis. Primum, quia verba illa, quæ addi solent *in quantum possum & indiges*, non sunt restrictiva, ut voluit Suarez, sed potius ampliativa, cum indicent animum utendi tota potestate, & facultate in tota sua amplitudine. Secundum, quia ad effectum absolutionis à peccatis impertinens esset absolutio à suspensione, cum suspensio nullo modo impediat absolutionem à peccatis: & tamen illa etiam continetur in iis verbis: ergo absolute, & universaliter intenditur auferri. Tertium, quia Confessarius non solum debet pœnitentem dispo-
nere ad Sacramentum pœnitentiæ, sed etiam ad dignè suscipiendam Eucharistiam: ad hoc enim pœnitens præmittit confessionem, ut iuxta Christi præceptum probet se, quæ probatio pertinet ad confessarium, atque ideo debet pœnitentem ita absolovere, ut possit ad communionem accedere; ergo non abstulit censuras solum in ordine ad absolutionem sacramentalem, sed etiam in ordine ad Eucharistiam, & alia Sacramenta suscipienda. Quartum, quia si pœnitens peteret ad cautelam absolui ab excommunicatione, si forte aliquam incurrisset, confessarius absolute, & sine limitatione absolueret. Ergo & nunc ita absoluit, maxime cum semper implicite pœnitens cum eo amico accedat, ut quantum fieri possit, solvatur à peccatis, & vinculis, quæ habet. Quintum, quia quidquid sit, an absolutio à peccatis sit valida; quando excommunicato confertur, certum est illicite confetti: & ideo præmittitur absolutio à censuris, ut debito modo absolvatur à peccatis. Debet ergo confessarius habere intentionem absolutam absolvendi simpliciter, & tollendi excommunicationem: quia si solum absolueret ad effectum absolutionis sacramentalis, & non ad alios; illè verè maneret simpliciter excommunicatus, cum haberet adhuc omnes alios effectus excommunicationis, qui certè non possunt sine excommunicatione manere: ergo absolutio à peccatis daretur verè, & in rigore homini tunc actu excommunicato. Debet ergo ut suo muneri satisfaciat confessarius habere intentionem tollendi omnino excommunicationem, ne absolvat à peccatis hominem excommunicatum. Sexto denique, quia licet simpliciter, & absolute sit possibilis absolutio ab excommunicatione ad reincidentiam, & per partes; hunc tamen absolvendi modum non possunt usurpare inferiores, nisi in casibus à iure præscriptis, sed solus summus

Pontifex, ut cum aliis observat Coninch. *disp. 14. de excom. dub. 16. n. 217. & in præsent. disp. 12. dub. 12. n. 97.* nec nisi expresse explicetur intelligi debet nunquam absolui aliquis ad reincidentiam. Adde eum, qui absoluitur ad reincidentiam, interim tamen absolui à tota excommunicatione: ille autem, qui ad solum unum effectum absoluitur, v.g. ad obtinendum beneficium, vel quid simile; non dicitur propriè absolui, sed potius dispensari, ut non obstante excommunicatione possit recipere tale beneficium, &c. ut notavit idem Coninch. *illo dub. 16. n. 215. vbi n. 225. & in præsent. dub. 12. n. 96.* absolute docet cum aliis, quos affert per illam formulam manere subditum absolutum simpliciter, & absolute à censuris etiam reservatis, si in absolvente erat potestas; quod etiam notavit Valquez *in præsent. q. 91. artic. 3. dub. 5.* & videtur omnino verum: maxime, quando sermo est de censuris non reservatis.

Dubitari posset, an hoc locum habeat non solum in habente potestatem ordinariam ad absol-
vendum, sed etiam in eo, qui habet solum potestatem delegatam; potuit enim delegari hæc potestas, cum ea limitatione, ut solum absolventi à censuris, quas pœnitens manifestat. Verius tamen videtur locum etiam habere in delegato, ut statuit Coninch. *illo dub. 12. n. 94.* & supponere videntur alij, quos affert, dum generaliter loquuntur non distinguentes inter habentem potestatem ordinariam, vel delegatam. Et videtur etiam constare ex usu: nam ij etiam, qui totam potestatem ex delegatione habent, quales sunt regulares in ordine ad facultates, adhuc præmittunt eandem absolutionem ab excommunicatione, suspensione, & interdictione, licet pœnitens nullius censuræ absolutionem petierit. Ratio autem est, quia cum in delegante sit potestas ad ita absolvendum, & ipse suam potestatem delegaverit absque vlla limitatione, non est cur à nobis limitetur.

Adverte tamen illis verbis, *in quantum possum, & indiges*: Confessarium non solum loqui de potentia ad validum, sed etiam de potentia ad licitum: quare non habet animum absolvendi; nisi ab iis censuris quibus licet potest absolovere. Unde cum licet non possit absolovere non satisfacta parte, neque etiam eum qui scienter recipit censuram, & alios similes, non censetur clausula illa generali velle illos absolovere, sed eos, quos valide, & licet potest.

§. 3. *Utrum sit repetenda confessio, eo quod Confessarius ante absolutionem oblitus est Confessionis, & status pœnitentis.*

624. **N**onus, & ultimus casus, quo confessionem repetere sit necesse potest esse, quando Confessarius illius oblitus est ante absolutionem. Quod multipliciter contingere potest. Primum, quia confessio longa fuit, & duravit per aliquot dies, ita ut tempore absolutionis iam Confessarius non recordetur eorum, quæ diebus præcedentibus audierat: Secundum, quia audita confessione, oportuit absolutionem differre per aliquot dies, & post illos redeunte pœnitente, iam Confessarius non recordatur confessionis. Tertium quia confessio fortasse irrita fuit, vel absolutio ex defectu doloris, vel propositi, aut iurisdictionis in ipso Confessario, & postea pœnitens, ablato impedimento, vult ab eodem Confessario valide absolui, qui tamen iam confessionis memoriam non habet. In his ergo, & similibus casibus quæritur, an

an debeat confessio tota denuò repeti, aut quilibet eius memoria possit sufficere.

627. Communiter responderi solet, quando confessio fit diverso confessario, repetendam esse totam, quando fit eidem, non esse repetendam, si ille recordetur, vel peccatorum, vel status penitentis, vel penitentiae impositae, sed sufficere vno verbo accusare se de omnibus, quae prius dixerat, addendo, si quae sunt alia peccata, vel peccatum in illa fortè confessione omissum. Ita Nauarr. Valent. Syl. Zelol. & alij, quos afferunt, & sequuntur Suarez in *present. disp. 2. sect. 6. in fin. Coninch. disp. 7. dub. 11. n. 109. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 3. n. 15.*

618. Addit Suarez contra Nauarrum si Confessarius iam prius penitentiam imposuerat, non esse necesse, quod recordetur peccatorum, vel qualis fuerit penitentia imposita, sed satis esse, quod recordetur hunc fuisse confessum, (intellige, & iudicatum absolutione dignum,) & quod postea nihil graue commiserit, in quo standum est eius testimonio. Si verò penitentiam non imposuit, & neque in particulari, neque secundum aliquam confusam, & moralem rationem recordatur status conscientiae ipsius penitentis; postulare debet iteratam notitiam, ut imponat penitentiam condignam. Si tamen absoluerit absque repetitione huiusmodi, licet fuerit mutilum Sacramentum: esset validum, quia haberet omnia essentialia. Hae Suarez, quae ex ipso desumpsit Gulielmus Mercerus de *Sacram. in 3. part. S. Thom. q. 9. art. 1. Cui consentit etiam Layman. lib. 5. tract. 6. c. 9. n. 6. dicens absolutionem fore validam in ultimo illo casu, sed peccare Confessarium absque notitia sufficiente ad penitentiam imponendam absoluentem.*

619. Aduertit tamen Suarez hae intelligi, quando confessio ex parte sui fuit valida. Secus verò, si confessio fuit inualida, vel defectu doloris, vel integritatis, vel iurisdictionis: tunc enim confessio de nouo repetenda est, quia prior non fuit vera accusatio sacramentalis, & ideo necessaria est iterata accusatio omnium peccatorum, quae cum non possit fieri vno confuso verbo propter rationem factam, necesse est, quod distinctè fiat. Hae Suarez, quae etiam amplectitur Coninch. loco citato, & prius ex parte dixerant Paludanus *disp. 17. quest. 5. art. 1. & Adrianus quest. 4. de confessione, §. si petas circa praedicta*: qui dixerunt, hoc verum esse, quando prior Confessio facta fuerat Sacerdoti, vel iudici, id est, qui tunc absolvere non poterat, quo casu eam repeti necesse est, quia prior non fuit sacramentalis.

620. Hanc distinctionem Paludani, & Adriani rejicit Vasquez in *present. q. 92. art. 3. dub. 3.* quia similiter, quando fuit quicumque alius defectus reddens irritum Sacramentum, confessio non fuit sacramentalis: ergo cum ipsi concedant non esse tunc repetendam confessionem eidem Sacerdoti, idem debet dici, quando defectus oritur ex defectu iurisdictionis. Ratio autem est, quia in omni casu reuera confessio fit sacramentalis, explicata fictione, vel defectu, & repetita priori confessione in genere, cum ex hoc habeatur sufficiens notitia ad absolutionem, quando scilicet Confessarius recordatur saltem in confuso peccatorum, & status penitentis, ut dictum est.

621. Denique P. Gaspard. Hurtado de *Sacram. disp. 8. de penit. difficult. 8.* dissentit in hoc, quod existimat, etiam quando Sacerdos non recordatur status penitentis, non retinet notitiam sufficientem ad prudenter imponendam penitentiam, quam prius nondum imposuerat: tunc, inquam, non requiri iterari confessionem distinctam, sed sufficere

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

ry confessionem aliquam mediam, hoc est, non vnicò verbo, sicut in casu priori; nec omnino distinctam, sed confessionem confusam peccatorum antea distinctè explicatorum: quae sufficit, ut Confessarius prudenter possit taxare penitentiam, ad quem solum finem requiritur tunc confessio noua de eisdem peccatis. Hae sunt doctorum placita.

Ego in primis existimo difficilem distinctionem illam, quam Suarez statuit, & in qua recedit à communi sententia, quatenus asserit debere repeti omnino distinctam confessionem totalem eidem Confessario, quoties prior ex defectu doloris non habuit effectum. Hoc inquam, falsum puto. Primò, quia in eo casu confessio fuit verè sacramentalis, hoc est, de se apta ad faciendum Sacramentum: nam, ut confessio ex se sit sacramentalis, non est necesse, quod concurrant aliae partes requisitae ad Sacramentum; ut constat in confessione, quam non consequitur absolutio: nam confessio de se habuit totum, quod requiritur ad confessionem. Sic quando defuit dolor, confessio de se apta erat ad materiam Sacramenti, neque ex eius defectu defecit Sacramentum, sed ex defectu alterius compartis requisitae, nempe doloris: ergo ex eo capite non oportet repetere iterum distinctè totam confessionem.

633. Secundò, quia praxis communis contraria est: nam quando defectus prouenit ex eo, quod penitens tacuit culpabiliter aliquod peccatum, si statim post absolutionem malè acceptam, redeat, & confiteatur suum defectum; non cogimus illum ad repetendam distinctè confessionem, sed ad accusandum se de eisdem peccatis: & tamen negari non potest, quod tunc non est adeo distincta notitia peccatorum, sicut quando successiue dicebantur: quem enim Confessarium repetias, qui possit tunc dicere, periuria fuisse triginta, turpia desideria viginti quatuor, omissiones Missae duodecim, & sic de aliis? Non ergo desideramus tunc notitiam ita distinctam, ac si nulla prorsus confessio praecessisset, sed utimur aliquo modo notitia prius habita.

634. Tertiò eadem praxis obseruatur, etiam quando deficiebat iurdictio prius in Confessario. Nam si accedat ad te aliquis habens casus reueruatos, & confiteatur illos simul cum aliis non reueruatis, & tu differas absolutionem, donec facultatem absolendi obtineas, postera die ante absolutionem non obligas illum ad repetendum distinctè confessionem de reueruatis, sed facis, ut se de illis, & aliis, quae dixit, accuset, licet prior confessio non fuerit facta iudici legitimo circa illa peccata. Non est ergo verum in vniuersum, quod illa confessio prior non possit magis conferre ad notitiam dandam Confessario, quam si non fuisset, etiam quando non adest notitia distincta, prout communiter non manet: est enim moraliter impossibile, ut die sequenti possit Confessarius illa peccata repetere cum omnibus suis circumstantiis, sicut ea audiuit, & tamen contentus illa notitia, facit, quod penitens de illis solum se accuset in confuso.

635. Ceterum, licet hae ita se habeant, existimo adhuc secundò contra Patrem Vasquez, non esse omnino rejiciendam differentiam illam Paludani, & Adriani circa confessionem priorem factam Sacerdoti iudici, vel non iudici. Nam, ut dicebam, prior non posterior est verè confessio sacramentalis, quia confessio sacramentalis est accusatio, qua penitens coram legitimo iudice manifestat sua peccata: qualis verè est illa, quae fit coram legitimo iudice, etiam si postea ex defectu absolutionis Sacramentum non fiat: Confessio autem il-

K k 2 19

la deseruire potest, propterea renouatur per sequentem accusationem, & manet in memoria Confessarii ad constituendum postea verum sacramentum Pœnitentiæ. Quando verò Sacerdos non erat iudex, non videtur illa confessio sacramentalis ex se, sicut si fieret non Sacerdoti, vel mero laico.

636.

Vnde existimo tertio, distinctionem illam in aliquo saltem casu vilem esse posse. Nam si prior confessio facta fuit Sacerdoti iudici, atque adeo ex se fuit sacramentalis, & Sacerdos pœnitentiam imposuit: postea licet oblitus sit status pœnitentis, & nesciat qualem pœnitentiam imposuerit, sed recorderetur, pœnitentem fuisse dispositum ad absolutionem, & pœnitentiam accepisse, poterit postea Sacerdos sine alia notitia absolvere. Quando verò confessio fuit facta non iudici, non poterit postea in iis circumstantiis absolvere, etiamsi obtinuerit iam facultatem absolvendi, nisi pœnitens se iterum accuset, & Confessarius aliquam acquirat memoriam confusam præteritæ confessionis: Quia confessio præterita non fuit sacramentalis, cum non fuerit facta iudici; quare debet iudex, postquam iudex est, notitiam delicti acquirere per confessionem rei.

637.

Hinc tamen oritur difficultas, quæ fuit fundamentum illorum Auctorum: quia videtur iudici postquam iudex est, dandam esse à reo notitiam distinctam delicti: quare cum confessio præcedens non fuerit facta iudici; non videtur habenda esse eius ratio, sed denuò facienda erit confessio sacramentalis distincta, cum illa prior non fuerit sacramentalis. Confirmatur, quia licet illa secunda accusatio cum illa memoria confusa prioris confessionis, & status pœnitentis videatur sufficere ad taxandam satisfactionem, & prudenter iudicandum: aliquid tamen plus videtur requiri in hoc sacramento. Alioquin si pœnitens anno sequenti dicat Confessario: status meæ conscientie hoc anno est, sicut anno præcedenti: habeo enim tot fere peccata, & æqualis fere gravitatis, sufficeret hæc confessio ad absolutionem, absque eo quod deberet peti notitia magis distincta: quod nemo concederet. Sequela verò probatur, quia nunc iste Sacerdos, postquam est iudex, non accepit, nec habet maiorem, imò nec tantam notitiam de statu pœnitentis, quam habeat ille alius de statu in secundo anno: ergo si iudex cum hac sola notitia ita confusa potest absolvere, licet nullam aliam habuerit, postquam iudex est, posset etiam pro secundo anno cum æquali, & maiori fortè notitia, quam accipit, absolvere, & pœnitentiam imponere.

638.

In contrarium tamen est auctoritas, & praxis communis: nam doctores fere omnes vniuersaliter dicunt, sufficere postea illam memoriam confusam, vnde cumque processerit defectus confessionis prioris: vsus etiam communis, ut dicebam, ita habet, ut si hodie confessionem audisti cum peccatis referuatis, cras, obtenta facultate, absolvas, præmissa breui accusatione pœnitentis, qui se iterum de omnibus, quæ dixerat, accusat: quo casu Sacerdos moraliter loquendo, non retinet memoriam adeo distinctam, ut posset peccata pridie audita sigillatim referre: idem vsus apparet, quando aliquis extra confessionem narravit Sacerdoti amico consilij petendi gratia, aliqua peccata; & postea confitetur eidem accusans se breuiter de iis omnibus, quæ extra confessionem dixerat: quo etiam casu non adest nunc in Sacerdote tam exacta & distincta notitia, qualis esset, si nunc se distinctè pœnitens accusaret: &

quidem prior illa narratio non fuerat vllò modo sacramentalis, nec accusatio facta iudici, sed narratio facta amico. Fatendum ergo est, confessionem etiam non sacramentalem priorem perseverantiam in memoria non omnino distinctam posse aliquo modo fieri sacramentalem per accusationem subsequentem taliter, ut possit ad sacramentum deferri. Non quòd illa prior narratio verè fiat accusatio sacramentalis in seipsa, cum talis non fuerit, sed quatenus posterior accusatio relata ad memoriam, quam habet Confessarius de illis peccatis distinctè prius auditis, sit sufficiens notitia, qualis in Confessario desideratur.

Ad id verò, quod contra hoc opponitur, quod sequeretur, sufficere solam notitiam confusam de statu pœnitentis absque alia notitia distincta antea data; neganda est sequela. Ratio autem esse potest, quod Confessarius ita est iudex ipse solus in hoc tribunali, ut ipse solus debeat ex peccatorum notitia formare iudicium de eorum gravitate ad proferendam prudentem sententiam. Vnde reddi potest ratio differentie inter nostrum casum, & illud exemplum, quod opponitur: quia in casu nostro totum iudicium de statu pœnitentis fit à solo Confessario; qui ex notitia, quam ipsemet habuit distinctam de illis peccatis formavit iudicium de eorum gravitate, quod idem iudicium ex illa memoria confusa nunc retinet, & secundum illud regulat, & taxat pœnitentiam imponendam. At verò in illo alio exemplo, quando pœnitens solum diceret, statum suæ conscientie esse, sicut anno præcedenti, iam tunc non tam Confessarius, quam ipse pœnitens fuisset iudex, qui ex notitia, quam habet de suis peccatis, formaret illud iudicium de statu suo, quod iudicium formatum daret Confessario, qui certe non ut iudex illud formasset, cum ipse non habeat, nec habuerit notitiam de peccatis huius anni. Præciperet ergo pœnitens officium Confessarii, ad quem spectat visa, & considerata natura, & multitudine peccatorum iudicium formare de eorum gravitate, & de statu pœnitentis, à quo non debet accipere hoc iudicium factum, sed materiam ad id faciendum. Est enim ipse solus Medicus, ad quem spectat, attenta qualitate morbi, iudicare, de eius gravitate, & de remediis etiam adhibendis: debet ergo ipse ex se facere utrumque iudicium, quorum primum ex se non posset facere, si ipse non audiret peccata, sed statum conscientie iuxta iudicium ab ipso pœnitente factum. At verò in nostro casu aliter se res habet: nam Confessarius ex se facit utrumque iudicium per notitiam de peccatis, quam ipse habuit, quam licet non habuerit, quando erat iudex, nihil refert: non est enim necessarium quòd tota notitia, à qua dirigitur ad hoc iudicium, fuerit sacramentaliter accepta: nam si Confessarius aliunde vidit, vel cognovit distinctè peccatum, potest pœnitens se accusare, dicendo: accuso me de illo peccato, quod tu scis, me fecisse, quæ confessio sine illa notitia præcedente non sufficeret, sed cum illa sufficit, ut Confessarius ex se possit iudicare. Itaque quod omnino requiritur, est, quod accusatio sit sacramentalis: quod verò accusatio secundum se det notitiam distinctè de peccatis, non requiritur, nisi quando Confessarius aliunde non habet notitiam distinctam: si enim illam habet, sufficit accusatio sacramentalis, quæ se remittit ad illam aliam notitiam aliunde habitam. Potest ergo in casu nostro Confessarius prudenter, & licite absolvere, quia iam ponitur noua accusatio sacramentalis coram iudice, & notitia, quæ remanet